


FRANCISCI MARIAE
S P I N E L L I
PRINCIPIS SCALEAE
D E
ORIGINE MALI
DISSERTATIO.



NEAPOLI MDCCL.
EX TYPOGRAPHIA BENEDICTI, ET IGNATII GESSARI.
SUPERIORUM PERMISSU.



Habet unusquisque in voluntate, aut eligere quae bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quae mala sunt, & esse arbor mala.

S. Augustinus lib. II. *de actis cum Felice Manichaeo c.* IV.

EMINENTISSIMO . AMPLISSIMOQVE . VIRO

DOMINICO . S. R. E. CARDINALI . PASSIONEO

ERVDITIONE . INGENIO . PRVDENTIA

CVM . PAVCIS . COMPARANDO

QUEM . CLARO . GENERE . ORTVM

PER . DIVERSOS . LEGATIONVM . ET . MUNERUM . GRADVS

FIDES . DEXTERITAS . CONSTANTIA

NON . MINVS . QVAM . NOBILITAS

AD . ROMANAM . PVRPVRAM . EVEXERVNT

QVEM . VIX . DVM . JVVENEM . ADHVC . PRIVATVM

JVRA . ECCLESIAE . CATHOLICAE

IN . VLTRAJECTINO . CONVENTV . STRENVE . VINDICANTEM

QVAMVIS . NON EADEM . SENTIENS

BATAVIA . OBSTVPVIT

EVNDEM . HELVETIORVM . RESPVBLICA

PRIMVM . BADAE . QVVM . IN . COMITIIS . AGEBATVR

DE . PACE . GALLOS . INTER . ET . AVSTRIACOS . COMPONENDA

TVM . IN . FOEDERE . GALLICO

CVM . HELVETIA . CATHOLICA . INSTAVRANDO

DEINDE . JVSTA . FVNGENTEM . LEGATIONE

TANTO . FAVORE . COMPLEXA . EST

VT . NIHIL . NON EJVS . CAVSA

VELLET . EFFICERETQVE

LEGATIONE . PANNONICA
HVJVS. VNIVS . STRENVITATE . ATQVE . GRATIA
DIFFICILLIMIS . ASPERISQVE . TEMPORIBVS
TOTO . IMPERIO . GERMANICO
DECVS . PONTIFICIVM . STETIT
EVNDEM . EX . DIVTINA . PEREGRINATIONE . REDVCEM
ACERRIMVS . INGENIORVM . AESTIMATOR
CLEMENS . XII. PONTIFEX . MAXIMVS
SINGVLARI . ECCLESIAE . BONO
BREVIVM . A . SECRETIS . SIBI . CONSTITVIT
CVJVS . NON . TAM . INSTRVCTISSIMA
TOTIVS . EVROPAE . BIBLIOTHECA
QVAM . VIVA . AC . SPIRANS
RARAE . DOCTRINAE . AC . SAPIENTIAE . SVPELLEX
COMMODIS . MORTALIVM . PATET
HVIC . FRANCISCVS . MARIA . SPINELLVS
SCALEAE . PRINCEPS
VETERIS . AMICITIAE
ET . BENEFACTORVM . MEMOR
GRATI . ANIMI . TESTEM
NVPER . DOMI . NATVM . LIBELLVM
D. D

LECTORI
ΣΟΦΟΤΑΤΩ
S. P. D.

P. IGNATIUS A CRUCE
AUGUSTINENSIS DISCALCEATUS
Sacrae Dogmaticae Theologiae Professor.

HOMINES *nequissimi cum facile sibi stulte persuadeant necessitate veluti quadam ad peccandum se adduci, ejusque rei causam cum Deo tribuere nolint qui natura bonus est, immo ipsissimum summum Bonum; nihil commodius illis se offert quam de duplici principio, quorum unum sit cujusque boni, alterum malorum omnium princeps ac effectrix causa, pervetus error qui ne dum olim nobilissima exercuit ingenia, verum etiam doctissimorum hominum mentes magna contentione fatigavit. Etenim hic error tum hominum, causam peccatorum ab se amoliri cupientium, stultitiae & philautiae magnopere blanditur; tum autem vitiis quibusvis atque pravis cupiditatibus & illecebris fraena laxat. Quadere,* σοφωτατε *Lector, ne mireris, quid sit quod cum longe sit absurdissimus, & cum primis rectae rationis principiis pugnet; attamen tot tantosque nactus sit fautores ac defensores, ut omnibus fere Ethnicae Philosophiae magistris adrisisse optimo quidem jure arbitremur. Ab Chaldaeis ortus ad Persas discurrit, postmodum ad Graecos transiit, denique ab Graecis Christiani malam opinionem animo imbiberunt; itaque de mali origine dubitatio, quae aliquandiu philosophos christiani dogmatis ignaros pupugit torsitque, & eos etiam, miserrimo facto naufragio, ad cautes syrtesque detestandi erroris allisit, qui mentem divinis veritatibus imbuti jam Christo nomen dedere. En Simon*

ille magus perditissimorum haereticorum omnium facile princeps, inter impia ejus dogmata, & hoc, teste S. Epiphanio, refert nostrum hoc seculum, ab nequitiae principatibus ac potestatibus cum defectu conditum. *Simoni antiquiori haereseos architecto succedit Menander; pone sequuntur Saturninus, Basilides, Carpocrates, aliique in coenoso quorum luto haesit quoque Valentinus haeresiarcha, & reliquis missis quorum non magna est celebritas, Hermogenes etiam prae ceteris hoc nomine notus quod materiam mali originem Deo coaeternam non solum indocte, sed etiam impie statuerit. Postremo autem omnes vincunt Manichaei haereticorum pestilentissimi adeo equidem ut error ab ipsis nomen acceperit. Hoc paucis descriptum, Lector eruditissime, fatum* Manichaeismi; *quem praeter alios Ecclesiae PP. merito cumprimis egregie verberavit, prostravitque maximus S. Aurelius Augustinus. Huic enim cum intime Manichaeorum placita perspecta essent atque explorata, innumeris ea confutavit argumentis, ut quoddam velut Manichaeorum flagellum evaserit. Quadere victus perdiu subductusque siluit Manes; & hodie sileret etiam, nisi ejus nefarium ac pestilentem errorem iterum in scaenam non minori strepitu prodire jussisset auctor* Dictionarii Historici Critici, *qui sub vocibus* Manichaei, Marcionitae, Pauliciani, Origenes *alibique subdolo ratiociniorum artificio, & conatu maximo non semel suadere adgreditur, armis quae sola humana ratio suppeditat, debellari* Manichaeismum *neutiquam posse, & amplam quaquaversum pro re nata sui systematis defendendi occasionem opportune nactus, qua data porta ruit ut vel omnino ab radicibus impie religionem convellat, vel id cum adsequi nequeat,* Pyrrhonismum *saltem alte in hominum animis infigat; constabiliatque. Verum sibi non defuit Dei Optimi Maximi Providentia, quam sua hic auctor pervicacia, & maledico dente carpsit; habuit enim ex adverso vel etiam inter ipsos Protestantes qui se defenderent, telaque adversus ipsam vibrata a Baelio in ipsummet ferientem magno successu repellerent.*

berent . Quos inter primo nobis loco nominandus occurrit Johannes Clericus cum in Parrhasianis ; *tum in aliis quamplurimis suae* Bibliothecae selectae *locis : qui eo quo praeditus ingenio , & sermonis elegantia , rem acu tetigisset atque de prostrato Baelio nunc plene triumphum caneret , nisi quod in eo quam maximum vitium est , & peccatum magnopere detestandum , cavendumque ab omnibus , utpote catholicae Fidei quam profitemur , adversum , systemati Manichaeorum systema opposuisset Origenis αποκαταστασιν universalem constituentis ; itaque causam , ut ait Leibnitzius , Origenistarum propugnasset quin se Origenistam professus sit . Sequitur deinde Guillelmus Kingius qui interea temporis dum magno contentionis aestu Baelium inter & Clericum acriter lis vigebat , utrinque etiam isti scriptis inter se digladiebantur , librum edidit* de Origine mali . *At quid ? licet multa in ejus commentario prae ceteris habeantur de entium liberorum praestantia , & causis cur a Deo creata sint , in quibus omnibus maxima se prodit eruditio ; attamen quamplurima sponcia digna in illo occurrere dudum viri docti observarunt : cumprimis vero illud , quod contendit mala quaevis tum naturalia tum moralia ex Sapientia , Bonitate , ac Potentia Dei necessario orta fuisse , ita ut hae Numinis perfectiones infinitae non fuissent , si illa non essent , aut esse potuissent . Hoc vel dictu nefarium & abominandum sentiunt omnes , in quibus communis sensus vestigium aliquod superest . Etenim haec si vera sententia esset , tum Deus mala omnia impedire nequiret , tum scelera , peccataque non permitteret solum , sed ad ea prorsus impelleret , moveret , excitaret , ac velut invitos pro potestate compelleret ; atque adeo ex perdita Kingii opinatione id consequens esset quod post Lutherum Calvinus deblateravit , peccatorum omnium , quae in mundo fiunt , nullam penes illos qui ea perpatrasse dicuntur , residere culpam , sed totam in Deum refundi . Potestne quicquam esse absurdius ? Profecto nihil ; cum nihil adeo prophanis juxta atque sacris*

usita-

usitatum scriptoribus reperies, *nihilque ipsimet rationis lumini conformius quam mali auctorem non esse Deum*. *Jam vero Jaquelotium pariter Baelius suum expertus est adversarium*. *Hic enim edito Amstelodami libro* De concordia rationis & fidei, *sane equidem Baelium ad palinodiam canendam adegisset*, *nisi dubio respondens de aeternitate paenarum Inferorum adseruisset*, *forte solam boni aeterni privationem omnes damnatorum poenas absolvere : quod vel eo solo titulo praeter ceteros meritissimo repudiatur*, *quod in Christi Ecclesia plane sit inauditum*, *incognitumque omnibus Ecclesiae Patribus*, *ac Theologis conclamantibus*, *non sola* damni *poena impios esse puniendos*, *verum etiam poena quam* sensus *appellitant*. *Res enim satis superque explorata est in divinis Codicibus*, *aversioni a Deo quae in peccato reperitur*, *eam paenam respondere quae in carentia divinae fruitionis posita est*, *ut scilicet quemadmodum quis peccando a Deo se avertit*, *ita ab eodem derelinquatur*, *ne particeps sit aeternae beatitudinis ; conversioni vero quae secundum affectum*, *& voluntatem peccantis etiam est in peccato*, *tormentum quod* sensus *dicitur*, *ut sicut nimio plus in creaturis quispiam delectatus est*, *ita ex iisdem tristitiam recipiat tormentumque juxta illud Apocalypseos XVIII.* Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. *Jaquelotio adjungitur Leibnitzius qui argumentum de mali origine adversus Baelium dignum quoque censuit*, *in quo ingenii sui vires periclitaretur*. *Suam porro ut hac super re qua de solliciti sumus*, *extricet mentem in* tentamine Theodiceae *statuit principii loco*, *Deum Ens intelligens*, *sapientissimum*, *potentissimum*, *benignissimum non potuisse non eligere id* quod est optimum, seu quod est melius. *Quod primo jactum fundamentum variis deinde exornat*, *expolitque hypothesibus ex quibus fluit jam ab se cusum fictitium atque* ideale *systema. Sed quam longius a veritate suum commentum aberret vel ex uno lubrico sane colligi quit principio*, *quo tota quantaquan-*

taquanta est suae sententiae compages nititur. Nam si nihil omnino facere Deus potest nisi quod est optimum & melius: id autem solum & optimum & melius est quod reipsa facit; & ideo, ut olim obganniebat Abaelardus, nihil aliud praeter id quod facit facere potest: non quod vult facit, sed fatali quadam necessitate trahitur; ut & hoc faciat unum, & certo tempore, modoque velut ad praescriptum faciat. Hoc qui dicit non solum libertatem Deo, sed etiam omnipotentiam atque ipsam funditus divinitatem eripit. Vides, Lector sapientissime, ruinosum principii Leibnitziani consequens? Eo igitur cadente corruat quoque omne Leibnitzii systema necesse est. Denique, quid ceteros commemorem anti-baelianos scriptores inter ipsosmet Protestantes celeberrimos? Nostratesne desint? quin magnus eorum numerus: omnis enim aetas suos habuit Sapientes qui strenue Dualismum profligantes, non solum animose, & fortiter, sed considerate etiam, sapienterque pro Dei Unitate steterunt. Amplissimus heic se mihi nunc aperiret campus Catholicorum Theologorum laudes percensendi, qui pro rei dignitate hocce argumentum tractarunt, atque eorum etiam Philosophorum peccata aperiendi, qui nimio plus aut lumini rationis, aut suis conjecturis indulgentes rem hanc tot operuerunt involucris atque integumentis, ut quid in ea admittere, quidve respuere profecto statuere nesciamus. Sed brevitati, ut par est, consulens omitto. Id porro unum adseram confidenter egregium Virum mathematicis, philosophicisque de rebus optime meritum, tumque aureae morum suavitatis, tumque selectioris eruditionis, ac sapientiae vere principem Franciscum Mariam Spinellum ista, quae modo typographicis formis excudenda committitur, anti-baeliana Dissertatione, ita omne punctum tulisse ut nihil ei addi, aut in ea nihil emendari posse facile credam. Hoc meum de isto opere judicium an reapse firmum sit & partium studio liberum, tu, Lector sapientissime aequi bonique aestimator, judicabis. Me profecto quod adtinet, scio ea quae

ad

ad intimam mali originem detegendam, illustrandamque apta sunt ipsum brevi ita complexum, nihil ut adjici praeterea posse videatur. Ut ecce quanta luce intricatam quaestionem perfundit? Errores vero in quos alii miserrime prolapsi sunt, quanta dexteritate evitavit; qui & ab intimis humanae voluntatis principiis argumenta interdum ad rem suam opportune accersit; & vicissim ad veram mali originem aperiendam ab sacris vetustis Voluminibus lucem saepe eximiam mutuatur? Postremo, ne quid praeteriisse videretur, non animosius modo, sed doctius quoque ac felicius Baelianis argumentis scitissime occurrit. Utinam vero, ornatissime Lector, per valetudinem diuturnis meditationibus profligatam tanto de scientiis optime merito Sapienti liceat tum Physicam experimentalem rerum spiritualium, *tum* de Origine Boni *dissertationem alteram, tumque* Criticas animadversiones ad quosdam Baeliani Dictionarii articulos, *ceteraque quae jam meditata ad manus habet hujus operis auro magis aurei pertexere! Optandum profecto omnibus hoc esse reor; ut vel ipsius saltem exemplo excitati viri eruditi alii certatim in partem istius curae veniant, tuque identidem ut modo de hac Dissertatione, de aliis etiam doctissimis* Spinellaeis *scriptionibus perfruaris. Vale.*

APPROBATIO

Opusculum hocce ab Excellentissimo Auctore excellentissimè conscriptum majus est omni laude; utpote in quo admirabis est methodi dispositio, styli claritas, verborum delectus, & verae Christianaeque Philosophiae solida doctrina ex aditis sapientiae depromta. Datum Neapoli ex AEdibus nostris octavo Calendas Majas anno AErae Christianae CIↃIↃCCL.

Julius Nicolaus Episc. Archad. Can. Dep.

APPROBATIO

S. R. M.

IN Petri Baelii Dictionario serpit virus quoddam occulte licet insinuatum, neque aperte traditum, ac non minus perniciosum, quod obice aliquo intercludendum omnino e re Christiana videbatur. Id praestitit Vir egregius, & incomparabilis Franciscus Maria Spinellus Scaleae Princeps primarum Gentium Patricius, in quo raram sane concordiam, Generis nempe nobilitatem, & egregiam literarum gloriam admiramur: Cujus Opusculum praesens contra Baelium aliosque ejusdem farinae homines (qui in Religionis negotio aequo plus ingenio, humanaeque rationi indulgentes, res ejusdem difficiles inventis suis implicarunt potius, quam explicarunt) elucubratum, nihil a Christiana Philosophia abnorme continet, vel quod Regia jura laedere possit. Dignam, selectamque egregiae Dissertationi superaddidit Doctissimus Vir Adnotationem, qua recentes Increduli, & Novatores perspicue, apposite, graviterque omnino revinci possunt. Quam ob rem, ut Typis idem Opusculum detur neque jus impedimento esse arbitror, neque fas. Neap. Kal. Octobris 1750.

M. V.

Humil., & Devinctiss. Servus.
Thomas Taglialatela Reg. Sac. Can. Professor.

Die

Die 3. mensis Novembris 1750.

Viso rescripto suae Regiae Majestatis sub die 31. mensis Octobris, ac rescripta relatione facta per Reverendum D. Thomam Taglialatela de commissione Reverendi Regii Cappellani majoris praevio ordine praefatae Regiae Majestatis.

Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta approbatione dicti Reverendi Revisoris, & in publicatione servetur Regia Pragmatica hoc suum &c.

CASTAGNOLA ANDREASSI
FRAGGIANNI GAETA.

Ill. Marchio Danza Preses S. R. C. tempore subscriptionis impeditus.

Registrata fol. 33.

Larocca. Citus.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. IX. *ver.* 32. affici *corripe* affigi
Pag. XIII. in Nota *ver.* 3. *primae columnae* dixi. *corr.* dicam
Pag. XVI. *vers.* 2. fulgiamur *corripe* fulciamur
Pag. XXI. *vers.* 32. Dum *corripe* Deum
Pag. XXIV. *ver.* 19. *post* nunc malum vicisse bonum *adde* nunc bonum malum consequi oporteret.
Pag. XXXIII. *ver.* 9. turpidines *corripe* turpitudines.

DE

DE

ORIGINE MALI

DISSERTATIO.



Ultis abhinc annis legenti mihi Dictionarium Baelii ejus quamplurimae propoſitiones, immò cavillationes nedum Fidei, verum etiam naturali rationi, communique hominum ſenſui adverſantes occurrerunt, quibus ſtomachatus, continere haud me potui, quin ad earum aliquas graviores ſtomachoſioreſque in craſſis verſantes erroribus, meas qualeſcumque notas apponerem; quae cum ad amicorum manus pervenerint, continuò inſtitere mihi, ut eas typis vulgandas curarem.

At ego hoc faciendum minimè adhuc cenſueram; tumquia temporis progreſſu errores debilitate concidunt ſua; tum quia hujuſmodi Baeliani eo in praeſentia apud homines tanti profeciſſe videntur, quo in noſtrorum cordium corruptela viam latam repererint. Unde melior, immò vera ratio, qua iſtius Auctoris ſophiſmatum vanitas detegatur, eſt corruptelae hujus a nobis amandatio procul, quia tunc mens in ſe reverſa continuò illos parvi faciet, quin & ab illis abhorrebit.

In noſtri Protoparentis peccato, Voluntas, quae Intellectum ſequi debebat, eum oppreſſit, illumque ducem amplius habere noluit, ſed ſuis ſolummodo libidinibus obſequentem, itaut, nobis malum omnimodò perpetrare volentibus, quia Intellectus quamquam depreſſus, numquam tamen deſiſtit aliquod praebere lumen, quo in tales libidines ſtimulus excitetur aſſiduus; Voluntas vult eum cogere, non ſolum ad ſibi acquieſcendum, ſed etiam ad

ejus libidines ratas habendas , aut saltem excusandas .

Adamus non peccavit sui sensus gratia , non dominandi ambitione , quia solus tunc erat , & suae omnia ditioni subiecta , ut nec divitiarum cupiditate , quae tunc non existebant . Suae Voluntatis libido , quae Intellectum devicit , fuit illa se Deo aequalem fieri , ut inde Bonum , & Malum sciret . Malum jam ille scivit , & in Mundum invexit , cum primum non erat , saltem in Terra ; scivit quoque Bonum , quod post Malum , cui frenum aliquod , nempè minus malum , ut daretur , inveniendum fuit amisso vero Bono , quod Deus erat . Hoc Malum in ejus descendentibus in omnes perditas sensus libidines , trucesque cupiditates Dominii , Divitiarum &c. se diffudit. Sed ipsae libidines alteram altera sua enormitate debilitavit.

In praesenti Mundus consenuit , cui contigit quod homini , qui cum strepens malum amplius perpetrare non posset , evadit *Hypocrita* . Ut si pulchrae mulieris compos esse nequiverit , ejus aspectu tamen cupidè oblectabitur , quia nunquam senescunt oculi , ut in Proverbio Hispano . Si spem suam fortuna juvenibus amica frustrabitur , aliis praeesse cupit prudentia , & veluti Oraculum audiri , & coli . Ita igitur in praesenti *Hypocrita* fœculo , nemo Principum sibi Acquisitoris , vel potius Devorantis provincias titulum amplius assumit ; sed aspera interdum bella hisce nostris temporibus totum Orbem vastantia nomen , aut propriae defensionis , aut sui foederati , aut aequilibrii Orbis , praeseferunt . Nullus Amor erga mulieres alienas pravus , sed Platonicus , & puræ amicitiae nomine tectus . Nullus Judex , vel Minister Justitiae venditor , sed mercedis exactor , quae ei (ut credit) pro actis , laboribusque debetur . Omnes denique homines cujuscunque sint status , sibi sua ipsis peccata specie legitimi , atque honesti obtegere conantur .

Ideò igitur quisquis , quem quia tituli Athei pudet , minimè Deum negabit , immò expresè vult eum esse , ut

ei

ei propriae corruptionis caussam ; quam in semetipso nolit cognoscere , tribuat .

Postquam genus humanum pervagatum fuerit omnia rapinarum , foedissimarum obscoenitatum , omnium denique atrocium facinorum , atque flagitiorum genera , jam defatigatum est ipsis , quae in seipsa abominationem cient , perniciosas propter consequentias quas patenter secum trahunt . Sed non ideò desinit eadem flagrare concupiscentia , eodem proprio affici Amore , quo fuit ad ea perpetranda impulsum . Concupiscentia est fons , qui septem discurrit in ora generum peccatorum , quorum uno ore clauso , & exsiccato , eadem noxiae aquae quantitas sex aliis accrescet : quibus omnibus deficientibus ; tota aqua ductui superbiae accresceret , quae sicut fuit primum in Adamo peccatum unde alia , ita in nobis sine gratiae Divinae auxilio nunquam exhaurietur .

Mundo praesenti igitur , si non defectis aliis sex ductibus ; saltem eorum pestifera aqua minori strepitu egrediente , magis superbiae ductus excrevit ; quae si nostro Protoparenti desiderium , ut esset sicuti Deus sciens Bonum , & Malum , excitavit ; nos ad obtegendam caussam Mali , quae sola nostra fuit , in id impellit , ut excogitemus qualecumque sophisma , ut eam in Deum transferamus.

Hinc foedae obscaenitates Aretini , trux Macchiavelli Politica , impudens Lucretii Atheismus , non amplius movent , immò subtilem nostri soeculi malitiam offendunt ; cum haec in Baelio materiam omnem se oblectandi invenit .

Quia Auctor iste , quanquam nec suae vitae exemplo , neque suis scriptis , nedum sensus voluptates , sed ne quidem dominandi cupiditatem , & acquirendi divitias promovisset ; nihilominus acuendo supra coeteros fermè omnes , ambitionem suam , omnia super ingenia dominium affectavit ; ideoque aliorum opinionibus magis exploratis, & certioribus adversari conatur defendendo inauditas , imo monstruosissimas , ad suum ingenium ostentandum .

Ideo Davidi, ac Sanctis Ludovico, Crysostomo, Bernardo &c. tot a se confictos defectus affigit; immò quotquot sanctissimi, ac perfectissimi sunt apud homines habiti, calumniatur; cum è contra sceleſtissimos omnes excuset, immò laudet magnifaciatque.

At quia Deus justissimus, sanctissimus est, immò Sanctitas ipsa, ipsa Justitia, precipuè ab eo fuit lacessitus: Negare illum, nimis vulgaris impietas erat, quamque non pauci jam amplexi fuerant, ideo iste Baelius voluit impietatem suam ultra protrahere, Divinam insectando Providentiam, tribus praesertim subdolis, ac fallacissimis propositionibus; nimirum: Cur Deus peccabiles nos creaverit? Et si peccaturi eramus; cur nos creavit? Et quare reprobi poenae in alia vita aeternum duraturae?

Hae igitur Propositiones Baelianae praesenti nostrae superbiae aptatae cum sint, atque cordis corruptioni, eam nisi penitus auferamus, Intellectus vix ad nos illuminandos, illarum ut falsitatem videamus, resurget, & si ad modicum tempus hoc faciet, ejus lumen in nihilum nobis proficiet, sed, ut ignis fatuus, statim ab ipsamet nostra corruptione extinguetur.

Ergò istae duae rationes meas notas divulgandas morabantur. Sed cum jam nonnullae contra Auctorem istum oppugnationes prodierint, quae Sapientum omnium calculo huic pugnae impares aestimatae fuere, immò fortassis errores Baelianis non inferiores parturae: ego animadvertens, errorem eo in hominum mente magis radices agere, quo minus rectè impugnabitur; ne hujusmodi Baeliani, vel ulterius progrediantur, animum induxi meum ad illas typis mandandas, quas spectabiles Viri censuere utiles ad hujus Actoris paralogismos ostendendos.

Sed antequam istos paralogismos a frontè adoriar; mihi nonullas veritates de intima nostrae Mentis natura visum

est

eſt ſtatuere ; quia, his firmatis non longè petitis ratiociniis, neque commentitiis, aut ſubtilioribus argumentis, ſed earum certa, atque explorata experientia in nobis ipſis, illicò illorum vanitas apparebit.

De Mente, & Corpore.

NEmo mortalium ignorat, ſe habere Vitalitatem illam, illud Principium agendi, quod certè in plures partes dividi haudquaquam poteſt. Etenim quiſque noſtrum clarè, evidenterque experitur, illud ſuum *Ego*, duo, vel plura fieri minimè poſſe. Quapropter hoc proprium *Ego* unicum, & individuum, atque ab omni re corporea omninò ſecretum, jure meritoque Mentem appellamus. Experimur pariter proprium corpus ita eſſe dividuum, ut nullam ejus partem, quantumvis minimam, concipere poſſimus, quae in alias minores ſemper & minores dividi nequeat, vel quod idem eſt, quae ex aliis pluribus partibus non conſtet.

Qua de re clarum perſpectumque eſt, hominem duabus ſubſtantiis conſtare, quarum una Mens dicitur, quae ſemper Activa, una, & individua eſt; adeout vocabula iſthaec Mens, Actio, Unum ut Synonyma haberi debeant. Altera verò ſubſtantia eſt proprium corpus, quod experientia docente, & Ratione dictante paſſivum, iners, & otioſum eſt. Etenim quodnam principium actionis inveniri poteſt in eo, ubi nunquam unum reperitur, a quo certè principium illud emanare deberet? Quapropter Corpus, Paſſio, Perpetua multitudo, vel ἀπείρων πλῆθει etiam ſynonyma erunt. Quae quum ita ſe habeant quis non videt, nos, praeter haſce duas ſubſtantias, alias ſubſtantias concipere haudquaquam poſſe, quandoquidem inter unum, & plura non datur medium, quod, ut attendenti patet, non ſit aut Unum, aut Plura.

Mens igitur utpotè Activa agit in Corpus, illud movendo,

do , aut ejus motus directionem immutando , idque exequitur sua propria vi , suaque propria natura . Cum enim sit ipsamet actio , non solum in semetipsam , sed in corpus quoque , quod est Passio , activitatem illam suam exercere debet . Corpus verò è contrario cum sit ipsa Passio , nequit certè in mente sensationes , ut ajunt , imprimere , aut excitare , quum agere ejus naturae omninò repugnet . Et quamquam ob corporeos motus , ut experientia patet , quaedam in mente excitentur sensationes , id non aliter accidit , nisi juxta legem illam Dei jubentis , ut occasione talium motuum corporeorum , tales quoque excitentur in mente sensationes , quae tamen impropriè dicuntur Passiones .

De Mentis Facultatibus .

TRes sunt Mentis facultates , Vitalitas , Intelligentia , & Voluntas . Vitalitatis duae sunt operationes . Una sensus internus, per quem sui ipsius est conscia , & quem Mens a semetipsa elicit . Altera sensus , qui dici potest externus , non eo quod extra ipsam sit , vel quia ab externis rebus in illa efficiatur , vel imprimatur , sed quia a rebus externis , vel excitatur , ut in blandis sensationibus , vel cogitur , ut in tristibus , veluti doloribus &c. ad illum in semetipsa formandum .

Intelligentiae adhuc duae sunt operationes , Intuitiva , & Reflexiva . Per intuitivam Mens res , vel earum Attributa , directè cognoscit . Per Reflexivam Intellectus se detinet circa cognitionem obviam , seù directam , ut eam examinet , videndo naturam , proprietates , Attributa , affectiones , modos &c. rei cognitae : ut quando Triangulum apprehendit , se detinet circa ideam Trianguli , ut in illa cognoscat Triangulum esse figuram tribus lineis comprehensam , habere tres angulos , duobus rectis aequales &c.

Ad

Ad Reflexivam credo pertinere Memoriam ; per quam Intellectus jungit Ideas , seù cognitiones , seù sensationes praeteritas , & futuras , cum praesentibus . A qua junctione, omnia judicia , omnes ratiocinationes , imo omnis tristitia , & delectatio , quae a sensibus in nobis producuntur , dependent . Nam cum dico : *Petrus est pulcher*, jungo ideam *Pulchri* , quae jam in me erat , cum Idea Petri , quae mihi est praesens . Cum dico : *Si Petrus est pulcher* , *ergo est amabilis* , jungo Ideis *Petri* , & *Pulchri* , Ideam *amabilitatis* , quae in me erat . Cum video Petrum , & credo eum esse Paulum , quid aliud facio , nisi jungere Ideam praeteritam Pauli , cum praesenti intuitione Petri ? In Doloribus , quae est causa verae afflictionis , seù tristitiae ? Nisi ope Memoriae jungere cum praesenti dolore praeteritum , & futurum , cum solum praesens , cum instantaneum sit , instantanea etiam esset afflictio , ut fuit etiam in momentis praeteritis , & erit in futuris ; quae si singula spectentur , & unum ab alio secretum , ut verè sunt , semper instantanea , & numquam permanens invenietur afflictio . Sed quid est quod illam reddit permanentem , & intensam , & verè Tristitiam ? nisi Memoria , quae semper momenta Praeterita , & futura jungit cum praesenti ? E' converso quid Gaudium , & Lœtitiam in Delectationibus efficit ? nisi Memoria , quae colligit in momento praesenti , momenta praeterita , & futura Delectationis .

In voluntate etiam duas operationes experimur Amoris ; seù Desiderii , & Assensus , seù Judicii . Principium desiderandi in Mente Creata est Amor erga semetipsam , cui insitus est . Ea verò cum sit terminata necessariò etiam desiderare , concupiscere , appetere aliam rem , aliud Ens ad se in suo termino sustinendam , debet , ut distinctius infra videbitur . Operatio judicandi est assensus conjungendi , vel separandi duas , vel plures Ideas , quas Intellectus format . Ut in dicto Judicio : *Petrus est Pul-*

cher ,

cher , Voluntas conjungit apprehenſionem Petri cum Idea Pulchri . Operatio diſſentiendi , vel ſeparandi duas Ideas, ſupponit unionem antecedentem duarum , vel plurium Idearum , ut cum dico *: Petrus non eſt Pulcher* , ſupponit, Voluntatem jam conjunxiſſe apprehenſionem alicujus *Deformitatis* cum illa *Petri* .

In omnibus iſtis Mentis facultatibus videre eſt illam imaginem , & ſimilitudinem Dei , quam Deus ipſe nos docuit . Nam in Vitalitate quiſquis experitur illud Principium agendi a ſemetipſo , in ſemetipſo , & in corporibus , quod quamquam imperfectè , infinitam , perfectiſſimam Actionem , imo immanentem divinum Actum aliquo modo exprimit .

In intelligentia videre licet operationem formandi Ideas ; ut veri , boni , entis , rei , numeri , mentis , hominis , bruti , plantae , figurae , trianguli , circuli , motus , quietis &c. quae aliquo modo illam Ideam Archetypam , per quam (ſecundum Platonem) Deus res informat (ſed verè creat) exprimunt , ſi non in creando , ut Ideà Dei , ſaltem in repraeſentando , nam per illa Mens , naturam , eſſentiam , attributa &c. rerum particularium cognoſcit . Sed Memoria eſt operatio ; in qua magis eluceſcit illa incomprehenſibilis gratia , quam noſtris mentibus largitus eſt Deus . Nam cum omnis Creatura ſit in illo perpetuo , rapidiſſimo curſu ſuae exiſtentiae , quod tempus dicitur , itaut in praeſenti momento B ſuae exiſtentiae , momentum A praeteritum , jam non ſit amplius , uti nihil adhuc ſit momentum futurum C ſuae exiſtentiae : ea eſt vis Intellectus per Memoriam , ut quaſi ex nihilo eliciat momentum A , & C , ad illa cum praeſenti momento B conjungenda in Cognitionibus , ut ſupra diximus . Hanc vim quamquam continuò , ut veriſſimam , & indubitabilem in nobis experiamur , incomprehenſibilem tamen eſſe fateamur ; nam illud ſiſtere rapidiſſimum curſum praeſentis , per quem

omnis

omnis creatura ruere debet, non solum supra; sed quasi contra naturam rei creatae videri debet. Per hanc ergo mentem potissimum, & supra omnes alias suas facultates ad imaginem, & similitudinem Dei factam esse patet; nam si aliae, aliquod divinum attributum, ista divinam ipsam essentiam aliquo modo adumbrat. Nam *illa interminabilis vitae tota simul*, & *perfecta possessio*, quae aeternitatem naturae divinae exprimit, si non interminabilis, si non perfecta, saltem aliquo modo *totam simul* in memoria conspiciendam se praebet.

Hic obiter notandum quam summa injuria Baelius istam Boetii aeternitatis divinae definitionem improbet, & contemnat; nam quod sit interminabilis, quod sit perfecta, nulli dubium (ut divina) esse potest. Tota Baeliana difficultas ergo super illam *totam simul possessionem* cadere debet. Sed hanc in nostra memoria experimur, quamquam ut nostrae creatae menti aptari possit, noscere non valeamus. Quomodo ergo illam non credemus in Deo, cujus naturae tam aptatam videmus?

Sed hic Baelianus error in alio tum sui, tum aliquorum qui se ut Philosophos venditant, radicem habet. Nam isti aeternitatem (attributum soli Deo competens) ut durationem infinitam sibi fingere volunt, quando duratio potest competere solis creaturis (*a*); nam per illam creaturae habentes proprium esse semper successivum, ipsarum praesens nunquam integrum, & totum, sed semper, & perpetuò deficiens, & ruens uti mutilatum a praeterito, & futuro invenietur. E converso esse Dei, cum sit simplicissimum totum integrum est in actu, cum nihil possit deficere ei de eo quod est, vel acquirere de eo quod non sit; totum simul ideo suum praesens debet habere, cui nec praeteritum, nec futurum affici potest. Et tale praesens est aeternitas, de qua Boetius loquitur.

B De

(*a*) Vide S. Augustinum Confess. lib. 11. cap. 24. & S. Thomam pluribus in locis.

De nostra voluntate aliquam similitudinem immensitatis Dei exprimente audiamus Cartesium. *Nec verò etiam queri possum, quod non satis amplam, & perfectam voluntatem, sive arbitrii libertatem à Deo acceperim; nam sanè nullis illam limitibus circumscribi experior. Et quod valdè notandum mihi videtur, nulla alia in me sunt tam perfecta, aut tanta, quin intelligam perfectiora, sive majora adhuc esse posse, nam si, exempli causa, facultatem intelligendi considero, statim agnosco perexiguam illam, & valde finitam in me esse, simulque alterius cujusdam multò majoris, imò maximae, atque infinitae ideam formo, illamque ex hoc ipso, quod ejus ideam formare possim ad Dei naturam pertinere percipio. Eadem ratione si facultatem recordandi, vel imaginandi, vel quaslibet alias examinem, nullam planè invenio, quam non in me tenuem, & circumscriptam, in Deo immensam esse intelligam, sola est voluntas, sive arbitrii libertas, quam tantam in me experior, ut nullius majoris ideam apprehendam; adeout illa praecipua sit, ratione cujus imaginem quandam, & similitudinem Dei me referre intelligo, nam quamvis major absque comparatione in Deo, quam in me sit, tum ratione cognitionis, & potentiae, quae illi adjunctae sunt, redduntque illam magis firmam, & efficacem, tum ratione objecti, quoniam ad plura se extendit, non tamen in se formaliter, & praecisè spectata major videtur, quia tantum in eo consistit, quod idem, vel facere, vel non facere (hoc est affirmare, vel negare, prosequi, vel fugere) possimus, vel potius in eo tantum, quod ad id quod nobis ab intellectu proponitur affirmandum, vel negandum, sive prosequendum, vel fugiendum, ita feramur, ut à nulla vi externa nos ad id, determinari sentiamus &c.*

Et bene dicit, *ut nullius majoris* ideam apprehendam. Nam hoc ipsum velle, seù cupere intelligentiam majorem illa, quam habemus, nos admonet de defectu istius poten-

ten-

tentiae, nempè intelligentiae. Sed nemo volet, cupiet voluntatem illa, quam habet, majorem; Nam hoc ipsum velle majorem voluntatem, jam esset voluntatem habere majorem illa, quam habere credebat (*a*).

(*a*) S. Augustinus ultra progrediendo, ulterius effert similitudinem, quam ego exposui, in lib. 9. de Trinit. cujus argumentum in Editione Benedictina: *Trinitatem in homine, qui imago Dei est, quandam inesse, mentem, scilicet, & notitiam, qua se novit, & amorem, quo se notitiamque suam diligit: atque haec tria aequalia inter se, & unius ostenduntur esse essentiae*. Quem librum totum oportet legere. Sed me cohibere non potui, quin haec verba ex cap. 4. excerpta hic proferrem. *Sicut autem duo quaedam sunt, mens & amor ejus, cum se amat: ita quaedam duo sunt, mens, & notitia ejus, cum se novit: Igitur ipsa mens & amor & notitia ejus, tria quaedam sunt, & haec tria unum sunt; & cum perfecta sunt, aequalia sunt. Si enim minus se amat quam est, ut verbi gratia, tantum se amet hominis mens, quantum amandum est corpus hominis, cum plus sit ipsa quam corpus, peccat, & non est perfectus amor ejus. Idem si amplius se amat quam est, velut si tantum se amet, quantum amandus est Deus, cum incomparabiliter minus sit ipsa, quam Deus; etiam sic nimium peccat, & non perfectum habet amorem sui. Majore autem perversitate, & iniquitate peccat, cum corpus tantum amat quantum amandus est Deus. Idem notitia si minor est, quam est illud quod noscitur, & plene nosci potest, perfecta non est. Si autem major est, jam superior est notitia corporis, quam ipsum corpus quod ea notitia notum est. Illa enim vita quaedam est in ratione cognoscentis: corpus autem non est vita: Et vita quaelibet quolibet corpore major est, non mole, sed vi. Mens vero cum seipsam cognoscit, non se superat notitia sua; quia ipsa cognoscit, ipsa cognoscitur. Cum ergo se totam cognoscit, neque secum quidquam aliud, par illi est cognitio sua; quia neque ex alia natura est ejus cognitio, cum seipsam cognoscit. Et cum se totam nihilque amplius percipit, nec minor nec major est. Recte igitur diximus, haec tria cum perfecta sunt, esse consequenter aequalia.*

Quam similitudinem ex Divo Augustino non eo attuli, quo profundum Trinitatis Mysterium explicem, quia hujusmodi similitudo ab Athanasio reicitur; sed tantum quod Mysterium hocce nostrae naturali rationi minime repugnare ostendam; ac repugnantiam, quam nos in eo percipiendo experimur, evenire, quia volentes rerum spiritualium naturam intelligere; a phantasia, sive materiae perceptione nos abstrahere nescimus. Mens est una, indivisibilis, & partibus vacans; Ideoque omnibus in suis actionibus, tota semper erit in unaquaque earum. Alienum ab ea corporeum illud Axioma. *Omne totum est majus sua parte*; quia partium expers est ipsa, ac ne quidem est totum (cum ta-

lis

(XII.)

De attributis conſtitutivis Voluntatis.

DUo ſunt attributa conſtitutiva voluntatis, ille ſpontaneus actus, quem nos barbare *ſpontaneitatem* appel-

lis ad partes refertur haec notio) ſed eſt una ſimplex nihil compoſitionis habens. Unde nec dici poteſt, aut ſolam vitalitatem, aut ſolum intellectum, aut ſolam voluntatem, anima minorem eſſe, quia tota anima eodem tempore ſuam ſentit vitalitatem, intelligit, atque vult. Et haec tria ſi in nobis ſunt potentiae, hoc evenire ex rei creatae natura, quae quia finita, & limitata, continua eſt in actuum ſucceſſione; nempe ſicut in motu nunquam praeſens deſignari poteſt; quia ſtatim ac mens ad illud conſiderandum conſiſtit non amplius motum invenerit. Ita continuus fluxus actuum harum trium noſtrarum facultatum per tempus, h. e. a praeterito in praeſens, & ab hoc in futurum non ſinit earum actualitatem permanentem unquam eſſe, ſed ſemper participantem de praeterito, & futuro. Ac ideo ut potentias *ad eſſe* eas conſideremus oportet. At in Deo, qui actus eſt puriſſimus immanens aeemet, quae in nobis potentiae, Perſonae eſſe debeant.

Et ſi hoc Myſterium aliis noſtrae Fidei incomprehenſibilius, non repugnat noſtrae naturali rationi, nolenti modo phantaſia niti, ſed lumini intellectus; imo ſuae propriae naturae ſenſum interiorem ſequi. Quanto alia minùs repugnabunt. In quibus credendis, quam generalem repugnantiam habemus, eſt nos velle perquirere *quomodo* fiant? Sed quot propoſitiones mathematicas in dubium non revocamus, & *quomodo* fieri poſſint neſciamus? Certum eſt nos neſcire, quomodo angulus, quem tangens cum circulo facit, infinitas curvas, non autem rectam capere poſſit & nihilominus, qui de hujus propoſitionis veritate haexitaret, inſipiens haberetur.

Idem eſſet de eo, qui dubitare vellet, quod Aſyndotes hyperbolis in infinitum ſeipſas accedentes nunquam ſe tangent. Sed quid ego dico de propoſitionibus mathematicis, cum de ipſis rebus magis obviis, & quæ quotidiè noſtris ſub ſenſibus cadunt, neſciamus *quomodo* fiant. Qui ſcire poteſt, *quomodo* alterius corporis motus, alteri communicetur? Immo ego ultra progredior dicendo, nullius naturalis effectus nos *quomodo* ſcire. Corticem peruvianam febrem depellere continuo experimur, at *quomodo* hoc faciat eſt incompertum adhuc; Et ita in omnibus rebus naturalibus, in quibus ſi nos pro terendo tempore in inveſtigando illud elementarium *quomodo* fiant, operam animadvertendo quot fiant daremus, in detegendis illis mirum in modum proficeremus.

Opponi poterit, Myſteriorum noſtrae Fidei veritatem haud nos ita certo ſcire, ut propoſitionum mathematicarum, effectuumque naturalium. Sed reſpondebimus, noſtrorum Myſteriorum, nos rationem natura-

pellabimus ; & indifferentia , seu facultas ad opposita . Spontaneitas est illa vis , illa inclinatio a nobismet ipsis , ut *ad id* , *quod nobis abintellectu proponitur* (adderem a sensu interno , sive externo) *ad affirmandum* , *vel negan-*

turalem moralem in Traditione firmata , & antiqua fundatam habere (ut in Adami peccato dixi) cui fidem saltem illam , quam Cæsaris , Ciceronis , Augusti &c. gestis, praestare debeamus . At si hujus traditionis nihil aliud , quam quod a majoribus nostris ad nos usque pervenerit , sciremus ; tamen cum esset ita idonea , atque aptata , ad convellenda vitia , ita rationi , imo sensui communi uniformis , in dubium illam minimè vocare debemus , solo illo praetenso *quomodo* ea mysteria fieri possint . Gentilium traditio juremerito a Christianis explosa ; tum quia Deorum multitudo rationi repugnat ; tum quia unusquisque eorum Deus inter tantos nesciebatur ; nam qualis Juppiter inter tot Joves , qualis Hercules, qualis Bacchus, qualis Venus, inter tot Hercules , Bacchos , Veneres variorum temporum nationumque designari poterat ? tum quia istorum Deorum eodem quo tempore immortales credebantur , sepulcra ostendebantur ; tum denique ob impudicitias , obscaenitates , crudelitatesque historiis traditas , quae in eorum mysteriis committebantur : abusus qui irrepserant praetereo , sed tantum dico quos Principes magistratusque auctoritate firmaverant . Sed in nostris omne sanctum , omne consonum , aptatumque fraenandis vitiis, atque libidinibus compescendis .

Sed quod maximè hic notandum est, Diabolum , cum velit nos a credendis nostrae Fidei dogmatibus retrahere sub praetextu , quo nostram naturalem rationem superent , adigere ad amplectenda sua mysteria , quae quidem nedum naturali rationi , verum etiam ipsi communi sensui opponuntur . Ecce autem Lucretius , patheticè descripta Religionis tyrannide , ut Mundum opprimere volentis , deprimendo hominum intellectum , quam libertatem huic servituti substituit ? Dare materiae activitatem ex semetipsa movendi . Velocissimum continuo motum atomis suis deorsum tendentibus inesse : & quia isto deorsum conatu nunquam aliae aliis obviam issent , ac ideò nullam rem corpoream formare potuissent, haud ad perpendiculum eos, sed obliquè ferri contendit . At quis non videt corpus nunquam a seipso moveri , sed aut a mente aliqua , vel alio a corpore impellatur oportet . Illum omnium atomorum in corpore rapidissimum motum quis videt unquam , praesertim si corpus sit solidum ? Ac nemo ignorat cuique istarum atomorum unioni ad rem corpoream formandam illum contrarium esse . Porro in Mundo quem ille infinitum putat , quomodo dari queat illud sursum , illudve deorsum , quo vult suas atomos ferri ? Hoc deorsum , quod super terram nos videmus , centrum suum non excedit , quo omnia sua corpora ab aethere circumfuso impulsa tendunt. Istum corporum conatum , quem scholae *tendentiam* appellant , ad perpendiculum non oblique fieri videmus ; praeterea ob eam ipsam rationem , qua in mundo infinito ab Epicuro efficto non posset esse *sur-*

sum

gandum, sive prosequendum, vel fugiendum, ita feramur, ut a nulla vi externa nos ad id determinari sentiamus. Sed per hoc attributum, nihil libertatis, nullum actum in voluntate videre licet. Sed illud quod constituit libertatem voluntatis est indifferentia, per quam ad unum magis, quam ad alium actum affirmandi, vel negandi, seu prosequendi, vel fugiendi, se determinat. Per hanc indifferentiam voluntas exercet electionem, quae verè activam illam constituit, cum è contra *spontaneitas* non sit, nisi cœcus impetus sine termino ad quem se dirigere debeat.

De libertate Dei, & mentium Creatarum.

INdifferentia, seu electio, seu libertas apud Theologos dividitur in libertatem exercitii, sivè contradictionis, & libertatem contrarietatis. Haec similiter in libertatem servato, & non praetermisso ordine finis, & non servato, vel praetermisso ordine finis. Harum quatuor postrema species, cum perinde sit ac indifferentia ad bonum, & malum, quamquam in infimo gradu, qua nimirum voluntas imperfectè suam exercet libertatem, attamen, quia mentibus creatis est potissima, sibi per antonomasiam indifferentiae nomen adscivit; unde ejus usu propterea scholae ad exprimendam Dei libertatem abstinent.

sum aut *deorsum*, ne quidem *obliquum*, aut *perpendiculum*, quae solummodo ad nostrae terrae superficiem referuntur.

Motus igitur ab ipsa materia exortus: motus cujusque atomi velocissimus: deorsum in infinito: omnia corpora ad hoc deorsum tendentia: hujus motus obliquitas: haec omnia mysteria a Lucretio Religioni, sive Providentiae subrogata, nedum intelligentiam nostram excedunt, sed ei planè opponuntur. En igitur suus heros Epicurus, generis humani ab oppressione Providentiae liberator post tot magnifica promissa, durae servituti, atque suarum futilium hypothesum, imo chimericarum visionum oppressioni illud subjicere studet.

Idem quod ab Lucretio factitatum videri potest in omnibus objectionibus, quae nostrae fidei mysteriis fiunt, quia sublato uno, praetextu, quod nostram supra rationem sit, ei aliud ad libitum inventum opus

nent : Ideoque videndum cur haec indifferentiae ſpecies Deo aptari non poſſit , nulla ex re tamen ejus perfectiſſima libertate imminuta .

Deus igitur , ut perfectiſſimus , perfectiſſima adhuc ſupra illam omnium mentium creatarum debet eſſe ſua libertas .

Nam quod attinet ad affirmandum , cum id nitatur vero ut a nobis creditur , quamvis multoties non tale , ſed falſum ſit , quod reddit noſtram indifferentiam non firmam , & ideo imperfectam ; nam cum falſum invenitur illud , cui primo , uti vero a nobis habito aſſentieramus , in contrariam partem aſſenſum noſtrum vergere cogamur . Sed in Deo cum ſit ipſe auctor veri , & ideo de ipſo non judicet , cum ipſe illud ſuſtineat , imò tale reddat , quanto perfectiſſima debet eſſe ejus libertas , quae cum cogi non poſſit a meliori examine ad ſe invertendam , a pura ſua voluntate dependet .

Circa amorem , ſeu deſiderium , quod eſt alterum voluntatis attributum , hunc ſic perfectiſſimum in Deo conſiderare debemus , ut diverſae a noſtro naturae illum cognoſcere fateamur . Nam cum Deus ſit Creator , & Conſer-

opus eſt ſubjicere , quod verè ipſi rationi contrarium , imo oppoſitum eſſet .

Quod ego peculiari modo in aliis oppoſitionibus , quae ab Heterodoxis noſtris myſteriis fiunt , aliquibus meis cogitatis oſtenſurus ſperarem , ſi gravis aetas , qua premor, reſque familiares , quae me totum in nihil agendo occupatum tenent illa promere ſinant .

Interim accuratè caput indubitabilis traditionis de Adami peccato Lectori perpendendum erit , quo in capite originis noſtrae corruptelae demonſtratio fundata eſt ; ſequendo κατὰ πόδα ipſam traditionem , quae haud interruptè in Eccleſia ſecundum promiſſionem a Chriſto ei factam , uti perpetuò duraturae conſervanda fuit . Tum etiam peccati gravitatem ; praeſens denique caput naturae noſtrae animae , in cujus perquiſitione Trinitatis myſterium poſſibile videtur ; eo quia haec tria capita altè penetrans , Marte ſuo in ipſis firmiſſima argumenta invenire poterit , quibus alia noſtra myſteria naturali rationi , quam ſint uniformia oſtendet ; ac è contrario eidem rationi opponi inventa omnia *figuratè , allegoricè loquendi , examinis viae via rejectae auctoritatis , articulorum fundamentalium & non fundamentalium* , ceterorumque quae noſtris myſteriis Increduli ſubſtituere coguntur .

servator rerum illas vult ad eas sustinendas ; nos , ut ab illis , sustineamur , & fulgiamur : in ipso non est desiderium , sed vera volitio , verus amor , cum quo omnes res ad se inclinat , ut illas sustentet ; in nobis nihil aliud est , quam desiderium , appetitus , inclinatio versus res ad inveniendum in illis fulcimen , quod nos sustineat .

Quod ut melius explicemus , considerandum nobis est , quod omne Ens cogitans cum debeat necessariò per suam essentiam habere intellectum , & voluntatem , est de necessitate suae essentiae , quod prima operatio sui intellectus sit semetipsum , vel saltem propriam existentiam cognoscere , ut prima , & necessaria operatio suae voluntatis sit amor erga semetipsum .

Deus ergo cum sit Ens cogitans , imo mens suprema perfectissima , debet etiam perfectissimè seipsum cognoscere , uti etiam seipsum amare . Cum ipse sit perfectissimus , immensus , infinitus , a se & ab alia nulla re dependens , suus amor erga seipsum debet ab ipso praeferri amori omnium creaturarum . Et ita Deus non potest constituere ultimum finem sui amoris qualemcumque rem creatam , sed semetipsum solum .

E' converso omnis mens creata , quamvis noscere , & amare semetipsam , haud tamen semetipsam ultimum finem sui amoris facere debet , quia voluntati in suis inclinationibus sequendum intellectum est suggerentem sibi summum Ens, a quo ipsa mens creata fuit , & in omni momento conservatur . Itaque intellectus sic voluntati objectum praebet, ut desideriorum ejus sui amoris etiam considerati uti proprii , h. e. erga seipsam mentem , illud ultimus esse debeat finis . Nam veri proprii , verique sui utilis causa ferri debeat ad faciendum suum ultimum finem , ad amandum super omnia , etiam supra semetipsam , illud Ens , quod non solum ipsam creavit , & continuò conservat ; sed quod solum in omni momento sit capax sustinendi

eam ,

eam , & explendi sua desideria , quae nullum Ens creatum , neque proprium suum nunquam implere , & sustinere potest . Hoc ergo erit verus sui proprius amor , estque omni menti creatae habendus , ut voluntas lumini intellectus innixa operetur .

Sed si voluntas non sequendo lumen intellectus temerè ruat ad faciendum semetipsum ultimum finem sui amoris , neque hoc consequetur . Nam voluntas non poterit se compescere , non poterit acquiescere in isto solo objecto . Etenim mentes creatae debent se cognoscere ut finitas , & ideo terminatas , & deficientes ; ista cognitio est ita ab ipsis inseparabilis , ut etiam invitae debeant illam semper habere , cum sit propriae essentiae , & naturae . In ipsarum termino igitur istae mentes , respicientes propriam deficientiam , hoc est proprium nihil , iste abissus nihili , illas horrore perfundit , uti illarum esse destruens. Itaque ne ad illud barathrum ruat , alio Enti innitendum est illi , a quo illud vacuum nihili ab ipsa insemet fugitum , repleatur , repareturque . Et ita hoc aliud esse, & non amplius ipsa , erit terminus suae voluntatis . Sed istud esse cum non sit illud summum , infinitum Ens , a quo ipsa mens semet averterat , erit aliud Ens creatum ; sed postea agnoscens in illo eundem terminum , & ideo idem illud tam exosum nihil ab illa in semetipsa effugitum , est illi opus , ut ad aliud Ens creatum , cui innitatur , transeat ; in quo cum ei accidat idem , quod in primo , transit ad aliud . Et ita objecta voluntatis semper commutabuntur , ea minimè inveniente illum ultimum finem , qui debeat illi suum fulcrum , suamque quietem praebere . Ideo mundanae res nunquam explent nostras cupiditates . Ideo Alexander post acquisitum penè totum orbem terrarum , querebatur tantos mundos superesse , in quos suum imperium extendere non posset .

Iste coecus amor mentis erga seipsam , iste impetus volun-

tatis faciendi seipsam ultimum finem sui ipsius, est fons, origo mali, imò omne malum, quod sit in mundo. Nam cum Deus sit supremum, infinitum bonum, ipse solus potest explere desiderium voluntatis creatae, quae in illo solo potest invenire suum firmum, & perpetuum fulcrum. Nam causa appetentiae boni in omni voluntate est, quod mens creata sentiens in semetipsa suam deficientiam, suum terminum, nititur, ut supra dictum est, super aliud Ens, quod illa credit posse istam suam deficientiam supplere, & ideo esse ipsi bonum. Sed quando voluntas Ente creato nititur, ut suo ultimo fine, & sic ut suo summo bono, cum illud aptum ad se sustinendam non inveniat, jam non erit suum bonum. Hoc ens ergo, quamquam bonum in semetipso, respectu voluntatis erit malum, quia ab ipsa usus istius Entis perversus fuit. Et ita ista voluntas erit auctor mali, quod ut a se sola proficiscens, contra ipsam solam habet suum effectum, & respectu ipsius erit malum, ut infra melius explicabitur.

Ex dictis videre licet. Primum Deum non esse auctorem mali, sed illam voluntatem creatam, quae usum boni pervertit tota penitus adhaerens illi bono (h. e. finito) quod illam sustinere non potest. Et hic est notandum quam gravis, quam ingrata erga Deum sit ista perversio voluntatis creatae, quae cum a Deo creata sit tantae extensionis, tantae amplitudinis, ut quasi immensitatem Dei aliquo modo adumbret (ut supra vidimus), & haec gratia illi concessa, ut sua vi, sua amplitudine superans omnes res creatas, ad suum factorem, qui solus tantam ejus vim cupiendi potest explere, & sic in illo quiescere, ad se sustentandam se volvat; tantam suam vim, tantum conatum in nihilum creaturarum velit disperdere, unde sine vi, sine vigore, & in nihilum praecipitatam se inveniet.

II. Deum nihilominus esse infinitè liberum, quamquam auctor

auctor mali non sit, nec esse possit. Nam cum illa indifferentia mentium creatarum ad bonum, & malum (quae maxima in illis habetur, non consistat, nisi in faciendo ultimum finem sui amoris, vel Deum, quod est bonum creaturae, vel semetipsas, quod est malum. In Deo ratione dignitatis objecti, h. e. ipsiusmet Dei) isti duo actus tam oppositi in creaturis, h. e. faciendi ultimum finem Deum, & se ipsas, dico in Deo sunt unus, & idem actus. Et ideo in hoc actu non potest dici Deum privatum indifferentia, sed indifferentiae in hoc actu non esse locum; cum non duo, sed unus sit, vel sit unus, qui duos creaturae actus comprehendit.

III. cum indifferentia, & ideò libertas mentis creatae circa bonum, & malum sit inter duos actus, scilicet amoris Dei, & sui super omnia. Si ista mens a Deo cogeretur amare Deum, jam non esset indifferens, & ideo non libera, quod contra naturam suae voluntatis foret, itaut ista potentia in illa destrueretur, & ita nullus amor in illa, neque sui ipsius relinqueretur.

Etsi in mentibus beatis voluntas non potest a summo bono sejungi, hoc evenit, quia quando in illa erat libertas indifferentiae, hoc est inhaerendi Deo, vel sibimetipsi, ut ultimo fini, cum Deo inhaerere ipsa voluerit, quomodo posset ab ipso amplius separari? Illa in actu indifferentiae cum esset in perfecto aequilibrio, voluit lancem sui actus versus Deum pendere, ideo quomodo amplius poterit in aliam partem illam deflectere? In isto actu illa cum se a lumine intellectus duci siverit, in Deo invenerit illud forte, illud infinitum objectum suorum desideriorum, quod semper, & continuò illam sustentabit in sua deficientia, quam uti terminata, debet semper in semetipsa sentire. Ipsa voluntas indesinenter fovebit suum proprium amorem in ista electione, sibi complacens in illa, non obstinatione, sed constantia quia perpetuò videt utile & bonum sibi ab illa perveniens. Et

quis poterit unquam rumpere istam catenam utilis , & boni , quae mens continuò experitur ab ista sua tam recta tam rationi consentanea inhaesione ?

E' converso si voluntas in statu suae indifferentiae lancem suae inclinationis , erga semetipsam pendere fecisset , faciendo semetipsam suum ultimum finem , unde sumet illa auxilium ad resurgendum , ut summo bono inhaerescat ?

Tota sua vis ab ipsa in ista dejectione est collocata , jam subsedit , unde ergo eliciet illa istud auxilium ? Imo magis , magisque eruet a semetipsa novos impulsus ad istam suam ruinam . Nam idem impetus proprii amoris caeci , qui illam in primo actu impulit ad se sibi nitendum , in secundo actu , sive momento non solum perget , sed adjuncta sibi obstinatione non recedendi a primo suo actu , quamquam tam malè collocato . Et si in primo actu noluit duci a lumine intellectus sibi dictante summo bono niti , quomodo posset in secundo actu , si istud lumen jam a primo actu obscuratum , infractum fuit ?

Sed istud idem lumen a mala mente tam neglectum , non cessabit (etiam illa invita) continuò illi suggerere immensitatem Dei cum sua infinita perfectione , quae propriam ipsius imperfectionem , suum pene nihil substinere potuisset ; cui lumini cum illa obstinatio sequendi suum primum actum , non permittet amplius voluntati adhaerere , non ideò illud cessabit voluntatem in sua obstinatione inquietam reddere , sed continuò anxiam , continuò irrequietam , continuò distractam inter ipsum lumen intellectus , & suam obstinationem esse coget . Quod quantum sit contrarium naturae voluntatis , *quae in una tantum re* , & indivisibili consistit , ut dicit Renatus , nemo non videt , nam in eodem tempore ; in ipso actu , in quo sua obstinatio illam detinet , . in praeferendo , vel aequalem faciendo seipsum Deo , lumen sui intellectus istam praeferentiam , vel aequalitatem illi , ut impossibilem

bilem ſuggeret , & ita illa diſtracta inter deſiderium ſuae obſtinationis , & judicium ſui intellectus negantis poſſibilitatem iſtius ſui deſiderii , cogitur uno eodemque actu negare , quod appetit . Inter quos duos tam oppoſitos actus ipſa voluntas magis magiſque ſe , & ſuam libertatem imminuet , imo in nihilum reducet .

Ita Lucifer in ſuo illo *Ponam ſedem meam in Aquilone* , *&* *ero ſimilis Altiſſimo* , dico in illo ſuo primo actu , cum amorem erga ſeipſum a proprio ſenſu interno , qui nihil , niſi ſemetipſum illi ſuggerere poterat , & non ab intellectu , qui excellentiam Dei illi demonſtrabat , ſe duci maluiſſet , ab iſto primo actu orta eſt illi in ſecundo actu obſtinatio ſuſtinendi , quod in primo actu elegerat , quae quamquam lumen intellectus viciſſet , non ideò iſtud deſinit mentem Luciferi continuò vellicare oſtendendo illi excellentiam Dei ſupra ipſam , & ideò illam ſimilitudinem eſſe impoſſibilem ; & quia Lucifer illum ſequi noluit , iſtud lumen non amplius illi ad conſolationem , & gaudium (ut mentibus beatis) inſerviet , ſed ad illius deſperationem , & odium contra Deum augendum , & ideò ſua voluntas ſemper torta , ſemper diſtracta , unde ſua libertas coacta , in ſervitutem redacta a propria obſtinatione invenietur .

Sed iſtud exemplum Luciferi nos ducit ad aliam demonſtrationem neceſſitatis indifferentiae in mentibus creatis . Nam cum uſque adhuc iſta neceſſitas viſa fuerit in natura voluntatis , ſeu libertatis ipſius mentis , ſine qua jam mens eſſe deſineret . In praeſens videre licet confirmationem iſtius neceſſariae indifferentiae in magis antiqua , magis indubitabili , magis autentica omnium Hiſtoriarum , quae in toto orbe confectae fuerint , dico in noſtra ſacra Scriptura , quae nos docet Dum nullam mentem ſine hac indifferentia creaviſſe . Nam puri ſpiritus , ut Angeli , & Dœmones , habuerunt primum ſtatum iſtius indifferentiae , per quam illi ſummo bono , iſti ſibimetipſis

tan-

tantum adhaeserunt . Ita etiam animae duorum nostrorum Protoparentum , in primo actu illarum creationis ante primum illarum peccatum . Et si post peccatum haec indifferentia qua parte vergit ad bonum h. e. ad Deo inhaerendum in ipsis , ut in Lucifero , & malis Angelis , extincta non fuit , tam debilis , tam vulnerata in ipsis remansit , ut sine auxilio gratiae reparatricis ad Deum assurgere nunquam posset , ut clarius infra videbitur . Quod factum tam constans , tam generale circa indifferentiam in omnibus mentibus creatis , etiam demonstrabit a posteriori , talem indifferentiam h. e. ad bonum , & malum esse de natura , & essentia mentis creatae , itaut illi adimi , nisi a semetipsa , non possit . Nam cum Deus sit auctor naturae , quando videmus aliquod attributum semper , & invariabiliter affixum alicui rei , credere debemus illud esse inseparabile ab ipsiusmet rei natura , & essentia .

Etsi in anima Christi ista indifferentia ad malum locum non habuit , fuit in causa illa arctissima unio Hypostatica ad quam a Divino Verbo cum semetipso fuit assumpta , per quam primus actus amoris erga semetipsam, ab illo erga Deum non potuit sejungi .

De praesenti statu mentium humanarum , seu animarum .

Considerando mentes in semetipsis , jam vidimus supremam mentem perfectissimè liberam manere , quamvis indifferentia ad malum in illa locum habere non possit , cum idem actus amandi semetipsam super omnia, in quo omne malum consistit in illa suprema mente sit perfectissimum bonum .

Vidimus etiam mentem creatam non potuisse creari sine indifferentia ad amandum semetipsam super Deum in

suo

ſuo primo actu a ſeipſa elicito , nam per hoc deſtructa fuiſſet .

Ut etiam iſtae mentes cum in primo actu ad amandum ſuum Creatorem acceſſiſſent , quamquam in Actibus ſequentibus ab iſto amore non potuiſſent recedere , non ideo minus liberæ , imo magis , quam in primo Actu illarum tam utilis Electionis remanent .

Supereſt ut Mentes Corporibus addictas hoc eſt animas , ut in praeſenti noſtro ſtatu eas eſſe experimur , examinemus.

Omnibus notum Indifferentiam noſtrae voluntatis, qua parte ad bonum inclinare ſe deberet , in nobis ſummè debilitatam , & infirmam , & è contra qua parte ad malum tendit ut alterius victricem experiri . Omnes Infideles , omnes Ethnici in hoc cum nobis conſentiunt , per omnium ora volitat , illud querulum Axioma *Video meliora proboque* , *deteriora ſequor* . Huic noſtrae infelicitati , etiam adiungitur illa infirmitatum noſtri corporis, per quas anima noſtra infinitis ſenſibilibus afflictionibus quotidie ſubici ſe experitur.

Inter multa deliramenta ad excogitandam cauſam hujuſce duplicis infelicitatis animae noſtrae , duo videntur in ſapientibus Mundi magis viguiſſe .

Unum , eſt illa hypotheſis Metempſicoſis ad lubitum ſomniata, cui caeca fide credendum foret , dico caeca , quia iſta fides ſuper nullam antiquam non interruptam , & conſtantem traditionem fundaretur . Cui addas iſtam hypotheſim multis inſolubilibus difficultatibus obnoxiam eſſe . Nam ſi Deus noſtras animas in poenam Peccatorum carceri noſtrorum corporum addixiſſet, quae ipſae in alio Ideali Mundo (ut iſta vult hypotheſis) commiſiſſent . Per hanc poenam illis inflictam Deus illas poſuiſſet in ſtatu , in quo magis , quam in primo ad committenda peccata obnoxiae forent . Quod eſſet facere Deum auctorem mali . Et ſi illae animae in illo primo ipſa

ipsarum mundo in malum ceciderunt , quamquam tunc non adhuc gravatae non debiles effectae a praesenti nostro corpore , quomodo illis possibile foret ab illo malo resurgere postquam illi primae earum malitiae iste novus obex adiiceretur ?

Secundum deliramentum primo longè absurdius , est illa impia nequissima , subdola hypothesis Manichaeorum , per quam Antideum nescio quem malum , Deo vero opponunt , ita ut hunc ut boni , illum ut mali auctorem effingere velint . In qua hypothesi praeter absurditatem fictionis in prima notatam videre licet illam ineptam ad causam nostrae infelicitatis explicandam . Nam si Deus bonus non potuit compescere mala ab illo malo Deo in nobis producta , debebat potius se abstinere a nos creando ne permitteret facturam suam ab alio difformari . Et si mentium creatarum aliae beatae, & ideo totae bonae, in totum felices , aliae damnatae , & ideo totae malae , totae infelices effectae , in illorum hypothesi , nunc malum vicisse bonum consequi oporteret . Haec vicissitudo dominii , quam sit absurda , quam opposita naturae & Essentiae Divinae , quisquis videre potest . Sed ineptiae istius hypothesis, cum à doctissimis viris maxime a Santo Augustino jam explosae fuerint , non est nostrum in illis immorari . Eo magis , quod illius defensores eam defendere parvi pendunt , sed illorum conatus est ad labefactandam veram causam nostrarum infelicitatum , quae a prava nostra voluntate tantum ortum habuere , nam humana superbia dum a se amoliri causam mali nititur, eam in illum a se effictum Deum reicere conatur.

Expulsis ergo tam male assutis fictionibus circa causam mali , & ideo nostrarum infelicitatum , oportet veram ostendere .

Ad hoc faciendum uti ad omne verum in materia facti eruendum oportet, rejectis omnibus Hypothesibus , omnibus humanis figmentis , factum ipsum examinare ; &

quia

quia omne factum a catena aliorum factorum dependet; opus est istam catenam prosequi, ut ad principium, & ideò ad causam istius facti perveniamus. Catenam factorum eandem esse ac illorum Historiam, liquet. Factum ergo est, nos homines illis duplicibus infelicitatibus obnoxios nasci; ab Historia ergo nostrae generationis, causam hujus facti eruere nos oportet.

Hanc Historiam nulla natio, nulla secta, nulla religio; tam antiquam, tam authenticam, tam non interruptam, uti nostra, possidet; ad eam igitur nobis opus est ut recurramus, ut in illa principium nostrae generationis, & ab illo causam nostrorum malorum discere possimus. Et quis tam vecors, tam mente captus, istius Historiae fidem in dubium revocare posset? Imperia Assirorum, Medorum, Persarum, cum suis legibus, annalibus, religione, perierunt. Sola nostra Historia ab origine Mundi usque ad nos, intacta, inalterata, non interrupta in nostris sacris Libris a Populo Judaico servatis, pervenit; quorum conservatio ostendit ipsos, ut a Deo nobis dictatos, ita ab ipso per suam Omnipotentiam supra omnem comunem rerum vicissitudinem nobis servatos fuisse. Nam quomodo potuisset populus toties in durissimam servitutem redactus, cui sacra toties interdicta, semper omnibus nationibus despectui, numquam aliis imperans, cujus civitas, & templum in quo omnia sua Archivia, omnes Genealogiae, omnia acta authentica, omnia sacra servabantur, toties diruta à funmentis, & flammis mandata fuerit. Dico quomodo potuisset iste populus sine speciali Dei auxilio suos sacros libros, suos annales supra omnes triumphantes nationes, quae omnes suas traditiones ut dixi, amiserunt, solus servare? Et postea ab eo ipso, quamquam invito, nobis perventi, ne cui in mentem cadere possit illos a nobis fictos, cum illorum depositarius fuerit idem ille populus tam nobis inimicus, & infensus.

D Isti

Isti Historiae ergo, antiquae ut Mundus, nobis perventae per constantem, & numquam interruptam traditionem per totum cursum annorum sex mille, firmissimè videtur innixa fides, quae ei praestari debet; eo magis, quod nullum absurdum continet, & mirabili patentique modo omnem nodum hujus facti solvat, & extricet.

Ab ista ergo docemur, Deum post creatum universum Mundum, creasse Adamum ad imaginem, & similitudinem suam, uti & Evam illius uxorem. Subiecisse illi omnem terram cum suis viventibus. Posuisse eos in amaenissimo Pomario, ut ejus fructibus vescerentur. Vetasse illis unam solam arborem, ne de ejus fructibus comederent. Et quia erant ad imaginem, & similitudinem suam, & universae Terrae mandare debebant, eos rectos, & sine ullo malo, neque defectu animae vel corporis creavit, & ideo nudi vivebant sine ulla erubescentia, nam in illis non erat malum, neque corporis defectus, de quo erubescere potuissent. Diabolus seduxit Evam ut comederet de illo vetito fructu, ei suggerendo ab illo scientiam boni, & mali eam habere potuisse, & ideo Deo aequalem evadere: *Eritis sicut Dii scientes bonum, & malum*. Illa post comesum fructum, induxit Adam ut idem faceret; statim post illam infractionem divini praecepti, erupit in illis erubescentia suae nuditatis, & ideo ambo sibi fecerunt *perizomata* è foliis arborum ad tegendum sua pudenda. In poenam illorum delicti, hoc est mali, Deus ejecit eos ex illo amaeno Pomario, & praedixit illis omnes labores, & mortem, quae ab ipso delicto eis superventura erant.

Ex hac historia fusius principio nostri sacri Codicis scripta, & luculentius in aliis ejusdem libri locis explicata, considerare oportet; quod illud *eritis sicut Dii*, cujus blanditiis affecti illi nostri Protoparentes, a creatione recentes, malum in Mundum intrusere; nihil aliud fuit,

quam

quam confusio ideae Creatoris cum illa creaturae , sicut ipsi erant . Nam menti Adami ex nihilo erutae , exercendo intellectum , ideae primum obviae fuerunt illae , sui ipsius nempè , & Dei . Illius , quia conscia erat ; hujus nedum propter conscientiam , quae continuò ei suam propriam deficientiam suadebat , ideoq; illam animadvertebat ut repraesentantem eum , qui ipsam creare , quotidieque conservare potuisset ; sed etiam in primo suae creationis momento , clarè , explicitè , ac directè intellectum cognovisse Deum , utpotè ab illo perfecta ratione praeditum immediatè creatum . Exercendo postea voluntatem , primus actus , nulli dubium , quin fuerit illa naturalis propensio erga semetipsum sive amor proprius cuique menti insitus . Ista ergo voluntas , sive iste amor proprius , eodem tempore quo se exeruit , has duas ideas , quibus inniti potuisset , ab intellectu habuit . Voluntas verò , cum in hoc fulcimine regi debuisset a vera unione quam inter se hae duae ideae habebant , ab illa scilicet necessariae dependentiae creaturae a supremo factore , in qua suum reperisset verum fulcrum (quia semetipsum amando , eo magis Creatorem suum , atque Conservatorem quis diligere debet) temerè utramque conjunxit , ac si essent ejusdem naturae , & identitatis . Et hoc pacto creatura sibi blandiens , Deum posse fieri se credidit .

En igitur primus error in Mundo , & una simul origo peccati ; itaut discerni nequeat , uter primum sibi vindicet locum , alterius cum alter causa fuit . Nam hinc dici potest , amorem proprium fuisse , qui hasce duas ideas illa falsa unione , quam tetigimus , confudit , atque errori causam dedit . Inde , ac error iste , causa consumati peccati in illis primis Progenitoribus nostris , pomum a Deo vetitum comedentibus , fuit . Quid praeterea mirum si perturbata , atque confusa unione illarum idearum , quae praecipuae in nostra mente erant , reliquarum uniones

D 2 per-

perturbatum ; atque confusum iri ? Et hanc praesertim idearum mutuam obscuritatem , eo magis auxere sensibiles perceptiones . Nam commisso peccato , ut ager materialis Adam *tribulos* , *&* *spinas* produxit semper frugiferis plantis nocitura , ita & in intellectuali nostrae mentis agro , spinae tribulique sensibilium perceptionum coaluere , suffocantes continuò spirituales ideas , quae nedum menti utiles , sed familiares , veluti eae , quae sibi externa ex vi minimè obveniunt , nec res a sui natura dissimiles , perinde ac perceptiones sensibiles , representant .

Sed ut funditus excutiamus hoc quomodo eveniret , considerandum nobis est . Corpus purè passivum cum sit , illam impressionem tantum , quae ab externa actione illi provenit recipiendi capax esse . Corpus ideo nostrum menti unitum ab ea actionem illam , quam mediante unione exercet , recipit ; ac insuper , quia aliis corporibus circundatum , recipit ab ipsis impressionem illam quam suo contactu in ipsum gignunt . Harum igitur causarum , actionis nempe mentis , & corporum impressionis , medium existens , in statu innocentiae , quia rectum a mente , hujus actio in ipsum , regebat quoque aliorum corporum impressiones , quae nihil aliud tunc conari poterant , quam expergefactis menti sensibus , illam praesentia corpora monere .

In hoc igitur statu a Deo noster Protoparens creatus fuit ; talis nempe unio erat mentis cum corpore , & haec unio in qua mens imperium suum sibi competens conservabat , huic statui conveniebat , in quo ita Deus mentem , & corpus creaverat : illam scilicet absque culpa , & hoc in perfecta proportione , & partium symmetria suarum . Sed post primum peccatum non ita se praestitit ; nam ipse actus non parendi Deo , mentem obnubilavit , infirmamque in se ipsam reddidit , uti vidimus ; inde corporis depravatio . Quales anxietates , quales horrores , quales convulsiones non excitet in nostro corpore

ille

ille angor , ille latratus (ut ita dicam) propriae conscientiae post peccatum commissum , ac praesertim prima vice cum illud nos perpetramus ? Et nihilo secius nostra corrupta natura inter culpas nata , credenda quoque conscientiae stimulis se callum obductum ire . Quam maximam tunc impressionem exindè , quantam perturbationem , & corruptionem symmetriae in Adami corpore agere debuit primus ille stimulus , cui tunc innocens ejus natura nullum habitum , nullumque ideo callum obducere potuerat ?

Perturbato hoc ordine , quo corpus regebatur a mente , in illa nova dispositione , seu symmatriae corruptione , non amplius eo modo , quo primum , regebatur ab illa, cum ejus namque actio in corpus infirma evaserit . At quantum nostro corpori mentis actio defuit , tantum impressio corporum , quae illud circundabant , crevit . Haec impressio , infirma nostrae mentis actione reperta , non solum ab ea dependentiam , atque regimen respuit , sed suum proprium corpus continuò affligebat , unde cum supradicta proprii sui corporis perturbatione , & symmetriae corruptione , omnes dolores , omnes infirmitates , omnes denique , quas vocant , pœnalitates , in Adamum irrupere . Et si in statu innocentiae haec impressio usui erat illi excitandis tantum sensibus , post peccatum verò , illam ad ipsorum occupationem , ac propterea ab ipsis distrahi , opprimique adegit .

De concupiscentia .

HAEc adactio est illa exitialis concupiscentia, quae Adamum post ejus peccatum oppressit . Ab hac, ejus voluntas postquam sensibus inhaeserit, spretis intellectus luminibus , & cum haud par esset , imo utpote enervata , ad sese ab hac inhaesione separandum , experitur assiduam

illam

illam impulsionem ex rebus , quas animae nostrae isti sensus ingerunt .

Duo sunt sensus nostri , uti operis hujus initio diximus . Alter internus , illa nempe conscientia sui ipsius , illa vitalitas , quam quælibet mens in semetipsa experitur . Externus alter , quo mens, tam de sui corporis, quam externorum praesentia monetur . In primo Adae peccato , ejus voluntas uni illi sui sensus interni , idest sui proprii *ego* , perceptioni inhaesit , ideoque effato illo *eritis sicut Dii* , quam maximè illecta , floccipendit , uti diximus , intellectus lumen , quod id factu impossibile illi ostendebat .

Ex hac igitur prima inhaesione sensui interno, exoriri quoque debuit , quemadmodum visum est , in sua volunluntate , illa sensibus externis , atque hinc desiderium rerum creatarum. Ab hisce duobus sensibus, Adami mens propulsa semper , ac , ut ita dicam, adacta fuit in ipsis, continuò detineri : idcirco exoptando tantummodo ea , quae ab ipsis exhibita erant , non amplius in ea lumen intellectus vigebat , quod desiderium sui summi , infiniti Boni, voluntati praeposuerat : itaut absque supernaturali divinae Gratiae reparatricis auxilio tali ex oppressione nunquam erigi potuisset .

Fontes istius concupiscentiae à Spiritu Sancto per os S. Johannis Apostoli , tres designantur , scilicet concupiscentia carnis , concupiscentia oculorum , & superbia vitae .

Superbia vitae est illa ipsa prima inhaesio sensui interno, hoc est illud *eritis sicut Dii* , quo nos ad superbiam aliis imperandi, continuò impellimur ; uti etiam ad ambitionem adipiscendi honores , munera , officia , aliaque hujusmodi . At quid amplius? ea ipsa sapientia qua nobis esset utendum ad infinitam Dei bonitatem , & potentiam cognoscendam , ac ei veluti nostrorum desideriorum fini innitendum , in superbiam a nobis vertitur illam , ut ea solum oblectemur , eaque ut aliis ingenio praestantes videamur.

Sua-

Suave (a) mari magno turbantibus aequora ventis
E terra magnum alterius ſpectare laborem;
Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas,
Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.

Concupiſcentia oculorum poteſt dici rivus antecedentis, impellens nos vanitate eſſe *ſcientes bonum & malum*, ut formemus ſcilicet illas falſas, atque perniciofas ſcientias veluti Magiam, Sortilegia, Aſtrologiam, quam Judiciariam appellant, Divinationem &c. & illas vaniſſimas Alchimiae, virgulae divinatoriae &c. quibus addi poſſent etiam illae inveſtigationes, & inventa ordinis, quo Deus creavit, regitque Mundum; & eorum quæ ſunt in Luna, Jove, Saturno, aliiſque Planetis; quid ſint Cometae, quid Elementa, & alias hujuſmodi inanes curioſitates, de quibus jure Xenophon (b) Socratis nomine, dicit: *Itidem eorum* (latino enim ſaltem ſermone brevitatis cauſa verba ejus exhibeo) *qui de rerum omnium natura ſollicite inquirant, aliis videri, unum quiddam eſſe, quod exiſtat; aliis eſſe ea numero infinita. His omnia ſemper moveri, illis nihil umquam moveri: his omnia tum oriri, tum interire; aliis nihil umquam, nec ortum, nec interire. Praeterea de his illud quoque conſiderabat, utrum perinde ac illi, qui res humanas diſcunt arbitrantur hoc quod didicere, tum ſibi tum aliis, quibuſcumque velint, ſe facere poſſe: ſic & illi, qui res divinas inquirunt, arbitrentur ſe, poſtea quam cognoverint, quibus rationibus neceſſariis ſingula fiant, effecturas ubi velint, ventos, aquas, temporum viciſſitudines, aliaque, ſi quo ſit opus, his conſimilia. An ejuſmodi quiddam ne quidem ſperent, ſatisque babeant ſcire tantum, quo pacto rerum hujuſmodi ſingulae fiant. De illis igitur qui haec tractarent, hujuſmodi proferebat.*

Talis

(a) Lucret. lib. II. de Rer. Natur.
(b) Lib. I. Memorabilium Edit. Pariſien. Johannis Leunclavii Amelburni.

Talis concupiſcentia praeterea nos ad avaritiam impellit, cupiendo per ipſam divitias, & quam maximè poſſumus, bona hujus Mundi, quae ne quidem deſiderium noſtrum explent.

Concupiſcentia vero carnis, eſt illa inhaeſio ſenſibus externis, qui perpetuò mentem noſtram trahunt ad voluptates, & oblectamenta Guſtus, Odoratus, Auditus, ac magis ad ea, quae propriè carnis dicuntur, quinque denique ſenſuum corporis. Qui haud mali ob uſum, quo a Deo nobis donati fuere; ſicuti ne quidem mala eſſet voluptas, quam ab ipſis experimur, ſi eam ultimum noſtrum finem non efficeremus. At quia ipſi poſt Adami lapſum, non amplius intellectus lumine, quod obſcurarunt, reguntur, nos ſuis voluptatibus ſolum occupandos impellunt.

Explicita mortali concupiſcentia in Adamo relicta poſt peccatum, ſupereſt nunc videndum, quomodo ab eo ad nos omnes permanaverit, ac una ſimul cum ipſa, infirmitates, dolores, univerſae denique corporeae afflictiones.

Ad hoc inſpiciendum, nullus conatus, nulla demonſtratio opus eſſet, cum in omnibus caſibus peculiaribus experiamur, fateamurque. Nam ſi vivere inordinatè, intemperanter, diſſolutè, alicui *podagram* attulerit, qui morbus articularis inde ab eo ad ejus poſteros tranſierit, hujuſmodi tranſitum in dubium non vocamus, nec admiramur, ſed ſtatim ejus, ut morbi haereditarii, neceſſitatem agnoſcimus. Idem contingit in calculorum morbo, pectoris, venereo &c. Quòad vitia vero, ſeu mala mentis ut ſunt concupiſcentiae, quot gentilitia in Familiis ſemper habita fuere, & nunc habentur? Claudiorum aſperitas, Tarquiniorum ſuperbia in omnibus innoteſcunt Hiſtoriis; ſed quid plura? ad integras uſque Nationes permanare. Cui non patet Graecorum infidelitas, Punicorum perfidia, Aſianorum mollities; & de

pravo

pravo Cretensium ingenio, ille Poeta a S. Paulo citatus, dicit: *Cretenses mendaces, ventres pigri, malae bestiae*.

Quid igitur mirum si depravatis nostrorum Protoparentum mentibus, corporibusque, ad nos omnes eorum mala, tam mentis, quam corporis permanavere?

At ipsa nostra concupiscentia, ipsamet superbia vitae, tam claram, tam evidentem notionem nobis subtrahere studet: illa namque, cum mancipatum intellectum sibi reddiderit, eo uti vult, sed non ubi turpidines suas, earumque originem detegere possit. Illa in Adamo primum in illo *eritis sicut Dii* agnoscere noluit suam subjectionem, & dependentiam a Deo, ac propterea mala omnia, quae nos patimur, in eum impulit. Nunc ipsa nobis fugerit hanc dependentiam à Deo, sed ad illi insultandum, quasi hisce malis nos creasset. Illa in peculiaribus vitiis, malisque haereditariis ac gentilitiis, permittit intellectui, eorum naturalem causam decernere. At vero in universalibus totius generis humani, quamquam verè haereditariis, verè gentilitiis ut illa, hincque eorum naturalis causa perinde sit ac illa, quam supra dixi, clara, & evidens; nostra superbia tamen haud finit intellectum nostrum progredi eam visurum.

Sed ut illam prosternamus, ademptis effugiis, quibus se obtegere curat, ad extrema traductionis in nos adamitici peccati, quae tam corporibus, quam animabus nostris corruptionem intulit, descendere studebimus.

Animadvertendum idcirco erit, quod sicuti Deus post formatum Adami corpus *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*, creando scilicet animam, illius corpori uniendam: & idem quoque fecisset cum Eva, eodem modo etiam in posterum disposuisse, ut formato, organisque aptato corpore in mulieris sinu a viro foecundatae, ipse Deus creasset animam huic corpori infundendam, taliter, ut *Anima creando infunditur, infundendo creatur*, ut ait Innoc. III. *in Psal. L.* Sed cum peccatum nostrorum Protoparentum non

tantum mentes , verum etiam eorum corpora corrupisſet , eorum symmetriam depravans , ut ſupra vidimus , hinc Adami ſeminis , atque Evae ovarii corruptio : ex his autem eorum filii progeniti , eorum quoque corpora corrumpi debuere .

Et ſi Malebranchianae hypotheſi fides adhibeatur , quae hiſce noſtris temporibus indubitabilis habetur , univerſa hominum corpora in Evae ovario fuiſſe , eo modo , quo (ut volunt) plantae omnes ad finem uſque Mundi futurae , in ſemine primae , illa gradatione partium infinitè parvarum , ut ex dicta hypotheſi , eſſent , ac proinde ſi talis hypotheſis vera eſſet , in actu , quo Eva peccavit , omnium mortalium corpora jam in ejus ovario fuiſſent corrupta . Opinionem autem iſtam tanquam hypotheticam nec nobis ſatisfacientem , minimè ſequentes , pro certo habemus corporum corruptionem a genitoribus ad filios ſucceſſivè tranſire .

Formatis igitur corporibus , Deus animam illis infundendam creat , quae licet perfecta , tamen , cum eo ipſo ſuae creationis puncto corpori infundatur in eodem momento hujus corruptionem contrahit , ut egregiè Urbanus IV. , & Innoc. III. Pontif. Max. *in Pſal. L.* , & ante eos Divus Auguſtinus *De Geneſ. ad lit. lib. X. c.* 10. En quomodo corruptio tam Animae , quam corporis Progenitorum noſtrorum ab ipſis ad nos permanavit .

Sed ut diſtinctius hanc corruptionis permanationem videamus , perpendendum eſt , quod Patres ferè omnes dicunt . Carnis ſtimula Progenitores noſtros , ante lapſum, non ſenſiſſe , cum revera ipſi poſt peccatum ſe conjunxerint . Sed ſi fuiſſet ſenſus carnis in eo gradu , quo alii ſenſus , hoc eſt rationi ſubjecti , certum eſt quod iſte fuit primus , qui poſt peccatum ipſos advertit , tam ſe , quam eorum corpora , eis obedientiam abdicaſſe . Quia pars illa corporis , quae praecipua hujus ſenſus erat cauſa , movens ſe contra illorum voluntatem , effecit , ut

hujus

hujus inordinationis illos puderet , eamque contexerent. Exinde prima defectio proprii corporis ab ipsis Progenitoribus . Quae tamen longe major in generationis observatur actu , qui tanta corporis perturbatione fit , & ab eo vehementius ad animam transit , ut eam tunc quasi phreneticam considerare licet . Unde duplex ista perturbatio , nempe corporis , & animae effecit , ut Democritus , Hyppocrates , Galenus , omnesque tam veteres , quam recentiores Medici , hunc actum , generalem convulsionem , & Epilepsiam appellaverint . Et Alexander per hunc actum , suae humanitatis infirmitatem noscere fatebatur .

Cum per hunc actum igitur ita perturbatum , ita incompositum , post peccatum generatus sit homo , quid mirum si ejus corpus necessariò corruptum nasci debuisset ?

Hanc concupiscentiam per generationis actum nobis inditam , Nutrices in pueris magis confirmant , adaugentque illis lascivis basiis , a quibus concupiscentia carnis tenellulae aetati vehementer imprimitur ; illis in parietem pulsationibus , & in quodvis aliud corpus , unde malum sensit infans , vindictae spiritus in eo alitur : aliis quibusque modis , per quos Magister meus Gregorius Caropresius , omnibus septem peccatis mortalibus eorum mentem imbui , ostendebat .

Exacta vero pueritia , omnes , qui nos circumstant , quid aliud agunt , & conantur , nisi in nobis concupiscentiam magis , magisque incendere ?

Datur nobili puero bonus Rector , sed iste erit unus inter tot , tantosque alios , qui destruent , quod ipse aedificare vellet . Et nihilominus iste bonus Rector , quid in eum boni instillabit ? Urbanitates , honoris stimulos , omne denique mundanum bonum ; sed nemo eum alloquitur de quaerendo vero bono , nempe Deo , pro suarum actionum scopo .

Responsio tribus Baelii difficultatibus.

Postquam praesentem nostrarum mentium corporumque statum agnovimus, & exinde veram causam infirmitatis nostrae voluntatis ad bonum, tum suae inclinationis ad malum, aliarum duarum Baelianarum difficultatum contra divinam providentiam, vanitatem ostendemus. Cur scilicet Deus creavit eos, qui damnari debeant? Et cur poenae reproborum aeternae?

Quibus ut respondeamus, etiam ejus tertiam querimoniam adjungemus, hoc est. Quare nos impeccabiles non creaverit? Cujus futilitas, quamquam alibi ostendimus, hic tamen, eam aliis adnectendo, eo magis patebit.

Quod ad hanc igitur, videlicet: Quare Deus nos peccabiles creaverit? exclamare cogimur. O superbia humana in quam demissionem, in quantam abjectionem teipsam redigis! Tu in illo *eritis sicut Dii*, Deus esse volebas, & nunc in vilem materiae conditionem te intuere contendis quo tuam pravitatem excuses. Ergo nec tibi electio nec voluntas esse velles, sed instar purae machinae absque principio in te, & ex temetipsa, operandi? Quod ad alteram, cur Deus nimirum creasset te, qui damnandus eras? En aliam abjectionem prima viliorem, scilicet velle ex nihilo non eductum fuisse: cum ultimum omnium vilissimum sit non esse. Sed esto tibi minus malum non fuisse. Ergo tu Dei praescientiam introspicere ea parte tantum affectas, ut ei insultes? Sed cur non usquequaque? Deus enim quoque praeviderat fore te illum, qui tua sola voluntate damnari voluisses, ejus munera, omnesque gratias respuendo. Ergo cur Deus in nihilum te relinqueret, quem criminosum, sontemque in sua mente videbat, ideoque illa, quam tu gratiam credis, indignum? Hoc non erat infortunium,

quod

quod tibi aliunde venisset , sed illud a temetipso parasti , ac tute ipse voluisti.

Sed ut tertia evanescat objectio quoad poenarum aeternitatem , ac pariter ut penitus concludatur responsio hisce tribus querelis , quas tantum reprobus aliquis in medium proferret : Demus Deum usque eo descendere , ut huic rationem suam probaret , ac propterea ei diceret .

Quod ego te impeccabilem non creaverim quereris: id perinde esset , ac si tuae voluntatis me finem ultimum faceres : peccatum vero temetipsum . Si igitur tibi jam adulterium aliquod commissuro dixissem , ut me tuorum desideriorum , & non te ipsum , ultimum finem faceres, negasses utique , pravam illam tuam concupiscentiam secuturus . Quod & reipsa probasti , quia ego debitum , imo veram utilitatem tuam in faciendo me ultimum tuum finem , & non te , non destiti te monere , utpote qui non mihi inhaerendo , in malorum barathrum ruisses . Hoc satis superque te monitum voluit ille stimulus quem dum peccare meditabaris conscientiae tuae indidi : ergo tu illi obsistens , impeccabilis esse noluisti . Idemque fuit quoties peccasti in gratiae contemptum , cujus te participem reddebam eo stimulo , quo talis , scilicet non peccans ut semper fieres , nunquam per me stetit .

Quod vero te creatum fuisse quereris, id ipsum a te quod superius , peto . Nempe , ubi peccaturus eras , voluisses te natum non fuisse ? Neutiquam : aliter peccasses nunquam . Ergo tu esse maluisti in tuo tam tibi dilecto Mundo , quem potiorem me semper habuisti .

Quod tandem aeternitatem poenarum quereris . Ego mentem te creans , feci omnium rerum creatarum perfectissimam : qui a cum rebus materialibus alia perfectio non esset , quam illa sui proprii esse , tibi praeterea illa , quae verè , ac propriè perfectio dici debet , nimirum

illud

illud Principium in te , & ex te operandi , illa intelligentia , qua me cognosceres , denique interminata voluntas , ut in me solo tuum bonum inveniens , quiesceres . Ista igitur actione , a te , & in te agere , & operari in rebus materialibus tibi praebui , ac superesse illis . Itaque tu libera , tu dominans , nemini , quam mihi , suberas , & hoc subesse mihi , necessarium tibi erat ut creaturae , quae independenter a me , conservari minime potuisses .

Sed tu donis tibi concessis abutens , teque tuum ultimum finem faciens , dependentiam meam ablegasti ; hinc evenit , quod res materiales , praesertim terrenae , quas tu recturus eras , tuo imperio se subtraxere . Unde (*) si tu antea operabaris , agebas in illas , illae nunc agunt , operantur in te , adigentes te pati illos sensus , quos nolles ; & quia inter rerum materialium motus , ille ignis est longè vehementior , ideo horrendum cruciatum in te , quem experiris excitat ; quamobrem ista poena sensus est tibi a temetipso . Illam damni , carentiam scilicet mei , te quoque voluisse clarius patet , respuendo meum auxilium , faciendo te ipsum ultimum finem , ac res , & bona Mundi , quae sperabas tibi satisfactura . Si igitur sprevisti me , me abjecisti , cur quereris me abs te non possideri ? Ergo tu temet in tot , tantasque poenas dejecisti .

Cum autem materia imperium quod in te tute illi dedisti , acquisierit , cur eo quaeris a me illam spoliari ? Sed esto quod ego vellem ; nunc quaero abs te , an frui me , me amare , me ultimum finem tuorum desideriorum facere velis ? Certe quod non , respondebis : etenim in tali statu cum te abjecisses , necessario ita respondere debes : quandoquidem , si cum olim eras in perfecto indiffe-

(*) S. August. in Ep. Johan. cap.4. Tract. 8. *Quia vero per peccatum omo deseruit eum (h. e. Deum) sub quo esse debuit , subditur eis , supra quae esse debuit &c.* Vide totum Tract.

differentiae aequilibrio, vel me, vel te tuorum desideriorum finem ultimum faciendi, lancem nihilominus tuae electionis ad temetipsum impulisti, & consequenter ad res mundanas, atque corporeas; quale robur nunc amplius in te remanet efferendi lancem istam, ut in partem meam potius propendeat? Imo tute ipse extinxisti tibi vim omnem, omnem voluntatem redeundi ad me. Nam si in primo actu peccandi ad te inclinare maluisti, in secundo, huic tuae inclinationi, obstinationem adjiciens sustinendi primum, uti factum abs te; in tertio, obstinationem secundi, ac ita in omni momento, novam semper obstinationem addens, illa infinite fortis, ac diuturna erit in te, solaque propterea voluntatem tuam occupabit. Nam tu nec amplius teipsum amas, neque res Mundi, imo eas, teque, tamquam poenarum tuarum causas odio prosequeris, ac praesertim me, quem extinctum videre velles; itaut hoc tibi solum desiderium sit relictum. Sed quomodo me conficere, & consumere possim? Et si id accideret, non ideo te tuis poenis eximeres. Qua ergo ratione poenae tuae finem habebunt, te actum illum earum causam impensius prosequente? Si aeternus hic tuus actus, aeterna quoque poena tua erit.

Postquam istarum objectionum contra divinam Providentiam, futilitatem ostendimus, huic sermoni finem faciamus, aperiendo, cogitationes ipsas, quibus istae objectiones innituntur, nobis utilitati fore, si eis non ut difficultatibus ad insultandum Deo, sed ut mediis ne eum offendamus, aut ut commissam offensam emendemus utamur.

Si igitur impeccabilis esse velis, perfectionem hanc, ne tibi a tua natura esse cupias; superbissimum enim foret hoc desiderium, velle nimirum esse Deo similem. At quoties a concupiscentia tua versus res creatas impelleris, fac tibi in mentem veniat, quod ipsis imbecillioribus

explen-

explendis tuis desideriis, tu praecipitatus in miseriarum abyssum invenieris: ideoque tunc ad firmum fulcimen, verum solamen Dei confugias, oportet. Sic faciens in omni actu, ad vitae finem usque te non peccantem inveneris, vel saltem graviorum facinorum immunem; ac etiam post mortem, impeccabilem, si non natura, sed illa quadam gloriosa necessitate, quam tibi tua recta ratio vitae quaesivit, concupiscentiae viriliter obsistendo.

Ut autem tibi contra ipsam conduplicentur auxilia, unam maximam aeternae damnationis miseriam meditare, in quam ipsamet concupiscentia, te praecipitem dabit, quia hac via effugies illam, & non eo vano, & desperato desiderio deprecandi, dum pateris eam, quam tute ipse tibi comparasti.

Ut autem post commissum peccatum resipiscas, bonum tibi erit optare, te natum non fuisse, qui tam maximè ingratus Creatorem, Conservatorem, ac Redemptorem tuum offendere debebas. Quia hoc desiderium etsi effectum destruendi te, habere minime possit; habebit tamen illum erigendi cui a peccato, augendo in te horrorem illius, atque hinc placandi Dei ad veniam tibi: sed si hoc desiderium, in altero mundo expectabis habendum, nedum inutile, sed vanum, desperatumque perinde, ac primum, experiere.

F I N I S.



